

6748  
DE MISSA PONTE  
FICIA, DISPVTA=

TIO ALTERA.

*Dei gratia & Spiritu adiuuante.*

PRAESEDE RE=

VERENDO ET CLARISSIMO

VIRO, D. IACOBO HEERBRANDO, SACRO-  
sanctæ Theologiæ Doctore & Professore in inclyta Academia  
Tubingensi, celeberrimo, Praeceptore suo omni obseruantia co-  
lendo, M. BALTHASAR VOGTIVS Ulmen-  
sis, 8. Idus Maij, hora sexta, in Aula noua, pro  
viribus ad sequentes propositiones exer-  
citij causa respondere co-  
nabitur.



T U B I N G Æ,  
M. D. LXXXIII.



UBM  
abgegeben

# DE MISSA PONTIFI CIA DISPUTATIO ALTERA.



Issæ Patroni, eam à Christo institutam, ab Apostolis acceptam & traditam, summo studio à primitua Ecclesia obseruatam, hincq; omnibus temporibus per successisonem propagatam asserunt.

2. Hanc Sacrificium esse propiciatorium pro viuis, & defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere pronunciant.

3. Hæc encomia vanissima esse, hac Disputatione demonstrabimus.

4. Nihil enim tale in verbis Institutionis cœnæ Dominicæ, à quibus recedere est piaculum Christianis, siquidem Testamentum Christi, haberi, evidenter præcedenti Disputatione à nobis est ostensum.

5. Et pontificij ipsi testantur, quibus Authoribus singula accepta sint ferenda, tametsi in hoc quoq; sæpè dissentiant.

6. Petrum Apostolum omnium simplicissimè, & nudè Cœnam Dominicam celebrasse, ad eamq; sola oratione Dominicavsum, Platina testatur in vita Sixti. Quod ipsum Greg. Magnus Pōtifex eius nominis primus, alijs tribuit Apostolis omnibus: Mos inquit fuit Greg. Mag. Registrus lib. 7. cap. 63. Apostolorum ut ad ipsam solummodo Orationem dominicam oblationis hostiam consecrarent.

7. Confiteor, Pontianus eius nominis, I. instituit

A 2 circa

## *Altera Disputatio*

circa annum Domini 230. Nauclerus Generat. 8. Platina verò, Damaso Papæ adscribit.

8. Introitum, Celestinus circa annum Domini 428. ordinavit, ut Psalmi Davidis ante Sacrificium canerentur, quod ante fieri non consueuerat, Bergomates & Platina testantur.

9. Gloria patri, Damasus. Kyrie Eleyson Sylvester. Hoc ipsum ut nouies repeteretur Gregorius Mag. Plat. teste. Gloria in excelsis Telespharus. Collestanam Gelasius ordinavit.

10. Lectionem Epistolarum, & Euangeliorum Author fasciculi temporum Telespharo Papæ, Platina Hieronymo adscribit, qui tamē & ipse in Ecclesijs usitatam eam fuisse testatur.

11. Graduale, Tractum, & Halleluia Gelasio tribuunt.

12. Sic Canon, sine quo Missam celebrari posse negat, nec à Christo est ordinatus, nec ab Apostolis Ecclesie traditus, sed à varijs Authoribus C E N T O consarcinatus, quemadmodum & præcedentia.

13. Alexander enim eius nominis primus, Pontif. Rom. circa annum Domini 110. ob memoriam passionis Christi, verba hæc: Qui pridie, &c. addidisse scribitur.

14. Syricius anno Domini 385. verba hæc: Communicantes, & memoriam venerantes, addidit, quod olim Canonis initium fuisse scribitur.

15. Leo I. circa annum Domini 442. constituit, ut intra actionem Mysterij diceretur: Hanc igitur oblationem, &c. Item: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

16. Author.

Bergomat. lib. 8.

Naucl. generat. 13.  
Rationale diuinorum lib. 4.

16. Author fasciculi temporum testatur, Gelasium I. qui sedi Romanæ presuit, anno Domini 490 Canonē composuisse, cui Volat. tribuit Gradualia & Collectas. Sicut etiam Innocentius 3. testatur: Gelasius, inquit, creditur canonem principaliter ordinasse. Sed ut dicit Gregorius in Registro, quidam nomine Scholasticus. compositus precem illam, quæ super Eucharistiam secretò dicitur.

17. Sed tamen idem Gregorius circa annum Domini 590. Canoni addidit: Diesq; nostros in pace, &c. usq; ad: Quam oblationem. Bergomate lib. 10. teste.

18. Gregorius vero eius nominis 3. adiecit in Canone: Quorum solennitas hodie.

19. His addit Clichtoueus: Et alij summi Pontifices diuerso tempore alias sacri canonis particulas adiecisse prius compactis traduntur instituisse ceremonias in ipso Missæ Canone à Sacerdote sacra faciente obseruandas.

20. Atq; ita varijs Authoribus, diuerso tempore, successiue ante & post Gregorium Magnum, Canon Missæ est fabricatus.

21. Quomodo igitur Missa Pontificia à Christo, & Apostolis, vel instituta, vel tradita est; & hinc omnibus temporibus in primitua Ecclesia hoc modo, ut iam hodie in Ecclesia Pontificia, & hactenus aliquot seculis est celebrata; cum canone, qui principale & totum est, & sine quo ea, opinione Papistarum, peragi & celebrari non potest, destituti essent:

22. In hoc Canone negant Pontificij quicquam esse errorum; & Anathemate suo feriunt, si quis dixerit,

A 3 Canos

Certitudo de Au-  
thore Canonis.  
De Sacramenti Al-  
taris mysterijs lib.  
3. cap. 10.

Greg. loco, quo  
supra proposit. 6.

Nauct. generatio-  
ne 20.

Clichtoueus Paris.

Concil. Trid. sed.  
22. Canon. 6.

## Altera Disputatio

**Canonem Missæ errores continere, ideoq; abrogandum esse.**

**Ibid. Cap. 2.** 23. Ibidem etiam additur, Sacrificium Missæ verè esse propiciatorium. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crima, & peccata etiam ingentia dimitit.

**Ibid. Can. 3.** 24. Et si quis dixerit, non pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, Anathema sit.

25. Sed vt iam de reliquis Canonis erroribus taces amus, de quibus alias, de hoc iam præmisso agemus præcipue.

26. Et constanter affirmamus, Missam hanc Pontificiam, hoc fine celebratam, vt in Cōcilij Trid. Decretis habetur, & hactenus in Papatu fuit longo tempore obseruatum, horribilem esse Cœnæ Dominicæ à Christo institutæ prophanationem, cultum impium, & Idolatriæ plenum, ac blasphemiam in sanguinem, vniçamq; Christi oblationem in cruce peractam, summatam.

27. Non enim licet nec Pontificibus, nec ipsi etiam Ecclesiæ, cultus instituere ac comminisci propria auctoritate (sicut etiam non facit vera Dei Ecclesia) quod sibi audacter pro sua libidine sumunt Pontificij, dum ex communi totius Ecclesiæ cœna, priuatum configunt Sacrificium verè propiciatorium.

28. Cœna Domini Sacramentum est, in quo Deus

Deus nobis corpus & sanguinem Christi exhibit:  
Non Sacrificium, quo nos Deo offeramus corpus &  
sanguinem Christi pro peccatis viorum & defunctorum.

29. Nec Christus in Cœna Deo patri incruento modo, quod nos imitemur: sed in ara crucis seipsum obtulit victimam pro generis humani redemptione.

30. Hac vnica Oblatione consummauit in æternum eos qui sanctificantur.

31. Nec hoc vult repeti, aut iugiter offerri in Missa instar iugis illius Sacrificij, quod typus Christi fuit, quo adueniente corpore, umbra euanuit.

32. Nam si repetatur, argumentum hoc esset, Christi Sacrificium, non fuisse sufficientem & perfectam peccatorum expiationem, Argumento Leuiticorum sacrificiorum.

Heb. 10:2

33. Iam verò SEMEL per proprium sanguinē instruuit in sancta, AETERNA redemptione inuenta, Et V N I C A oblatione consummauit in æternum sanctificandos.

Heb. 9.

34. Hoc autem negant Pontificij, qui asserunt Christum se obtulisse semel tantum pro Originali peccato. In Missa verò offerri quotidie pro peccatis Actualibus.

Verba:

Thomis Aquinas de  
venerabili sacramen  
to altaris cap. 1.

35. Verba Thomæ sunt: Secunda causa institutio-  
nis sacramēti, est Sacrificium Altaris, contra quandam  
quotidianam delictorum nostrorum rapinam: ut sicut  
corpus Domini semel oblatum est in cruce, pro debito  
originali, sic offeratur iugiter pro nostris quotidianis  
delictis in Altari. Et habeat in hoc Ecclesia munus ad  
placandum sibi Deum super omnia legis sacrificia  
preciosum, & acceptum.

36. Quasi verò Christus pro originali tantum pec-  
cato, & non etiam pro Actualibus satisfecisset, cum  
sanguis filij Dei emundet nos ab O M N I P E C C A T O .

Hebr. 9. 37. Et sine sanguinis effusione non fit peccatorum  
remissio. In Missa autē non effunditur. Est enim, vt ipsi  
affirmant, Incruentum sacrificium.

Hebr. 6. 38. Ideoq; verè pronunciamus, blasphemiam esse  
horrendam sanguinis Christi, quod peccatorum expia-  
tionem suo, & à se conficto operi Missæ adscribunt.

39. Adeoq; rursum sibimetipsis crucifigere filium  
Dei, & ostentui habere: sicut etiam in sua Missa in tres  
partes discerpunt.

40. Quod si maximè facere, hoc quoq; loco sacri-  
ficare significaret (cuius tamen contrarium in præce-  
denti Disputatione probatū est) & sic Christus corpus  
& sanguinem suum in Cœna, vel Missa offerre iussis-  
set: tamē non hinc sequeretur, Missam sacrificium esse  
verè propitiatoriū pro peccatis viuorum & mortuorū.

41. Quia Christus id non in peccatorum expiatio-  
nem, sed sui commemorationem fieri voluit, quod A-  
postolus interpretatur: Mortem Domini annunciabi-  
tis donec veniat.

42. Sacrilega igitur est Testamenti Christi viola-  
tio,

## *de Missa Pontificia.*

7

tio, Missæ illud Sacrificium vere propiciatorium, quod pro viuis & defunctis offerunt.

43. Pugnat etiam cum ratione, & modo Sacerdotij Christi, qui scribitur esse Sacerdos æternus, secundum ordinem Melchisedech, perpetuum habēs Sacerdotium, quod per successionem ad alios non transit. Vnde ad plenum saluos facere potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper uiuens ad hoc ut interpellet pro eis.

44 Ideoq; vicarījs minime indiget, qui idem substantia Sacrificium offerant.

45 Nec possunt expiare Sacrificuli aliorum peccata, cum Sacerdotem, qui expiare aliorum peccata vesp  
Leuit. 16. Hebr. 9.  
lit, ipsum peccatis carere oporteat, ne prius pro proprijs offerre necesse sit, quemadmodum Leuitici fecerunt.

46. Nec possunt Missifices sistere filium Dei, patris: cum per Spiritum sanctum æternum seipsum obtulerit immaculatum Deo, semel oblatus à seipso, per quam voluntatem sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi SEMEL peractam.  
Hebr. 9. Ibid. 10.

47. Sicut igitur semel mortuus est pro peccatis Rom. 6 nostris iam non moritur amplius: ita semel oblatus est, iam non offertur amplius.

47. Sed nec opus est. Vbi enim peccatorum est remissio, non est amplius pro peccatis oblatio, Christus plenariam peperit peccatorum omnium remissionem, unico suo sacrificio. Ideo repetitione eius non est opus.

49. Porro nugantur Pontificij in Missa fieri applicationem meritorum, & beneficiorum Christi passio-

B ne

ne, & sacrificio in cruce peracto partorum. Et sic causa nalem esse, vel quasi, quo ea ad alios deriuentur.

50. Sciendum est autem, publicè omnibus Christi merita offerri, & applicari ministerio verbi Dei, & Sacramentorum.

51. Singulos deinde priuatim apprehendere sibi quæ applicare sola fide in Christum, & sumptione propria: Iustus fide sua viuit, non aliena.

52. Sicut nemo pro alio baptisatur, nemo pro alio edit. Hoc enim affirmare absurdum est, & ridiculum. Spectatores non satiantur, nec potantur, Cum aliud edit, & babit. Sic nemo pro alio cœnam Domini potest accipere, sed unusquisque pro se.

53. Pugnat etiam Missaticum hoc sacrificium, & Canonis scopus cum totius sacræ scripturæ scopo, & <sup>Anno. 10.</sup> fidei Analogia, qui est quod sola in Christum unicum propiciatorem fide, remissionem peccatorum iusticiam, salutem, & vitam æternam consequamur, absque ullis alijs sacrificijs, solo Christi sacrificio, qui unica sua oblatione hæc omnia nobis peperit.

<sup>Heb. 10.</sup> 54. Multo vero absurdius est, magisquam impium, quod hoc suū Missæ sacrificium etiam ad mortuos usque extendunt, quibus illud se applicare iactitant.

55. Cum Christus non mortuis, sed viuis Cœnam suam instituerit quos iubet manducare, & bibere, ac mortem suam annunciare.

56. Horum nihil mortuos facere posse manifestum est omnibus: Non mortui laudabunt te Domine, nec omnes qui descendunt in infernum. Item in morte non est qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

57. Nee

## *de Missa Pontificia.*

9

57. Nec sunt nisi duo (ut ita loquamur) loca in Luc. 16.  
altero seculo, cœlum & infernus, vita & Mors, salus &  
damnatio.

58. Sicut etiam duo tautum genera hominum in Io. 3.  
hac vita, scriptura facit. Vel enim veram habent fidem  
in Christum & saluantur, vel hac carent, & damnantur.

59. Hoc ipsum & Augustinus affirmat dicens. August. de peccato-  
rum meritis & re-  
missione. lib. 1. cap. 23.  
Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum  
Diabolo, qui non est cum Christo.

60. Sed Purgatoriū fabulæ, Disputatione propria  
sunt detectæ, & refutatæ.

61. Quod si in vera fide hinc emigrent, beati  
sunt mortui, & perpetua felicitate fruuntur cum Chris-  
to viuentes. Ideoq; Missæ sacrificio non indigent.

62. Si vero vera & Saluifica fide carentes hinc dis-  
scendant, Sacrificium hoc nihil illis proderit post mor-  
tem, cuius in hac vita participes non sunt facti.

63. Tametsi Augustinus nusquam minus sibi quam  
hac in materia sibi constet. Alicubi enim hoc sacrificio  
si pro eis offeratur relevari ait. Alibi dubitat de purga-  
torio.

64. Verum cum sine Scripturæ Sacrae autoritate Hiero. super Matt.  
Cap. 23.  
pronunciet: eadem facilitate, qua dicitur, repudiatur.

65. Quod vero Patres, Chrysost. in sua Liturgia,  
& alij, offerre se dicunt pro Patriarchis, Prophetis, As-  
tropolis Martyribus, &c. manifestum est, gratiarum ac-  
tionem fuisse, Deo in Cœnæ celebratione factam pro  
beneficijs in Ecclesiam collatis, &c. quod in precedens  
te Disputatione probatum est.

66. Sed iam & superioribus seculis homines im-  
B 2 periti,

## *Altera Disputatio*

perit, non intellecta Phras. Patrum Missam ad omnia applicarunt, facientes illam pro fœlici negociatione, ac successu in rebus temporalibus.

67. Ad hoc autem Cœna Domini non est instituta, sed ad confirmandam fidem in tentationibus de peccatis, & similibus.

68. Hinc autem aiunt Missam hanc habere efficaciam, Quia idem sit substantia cum Christi sacrificio, quod in cruce peregit.

69. Sed certum est, Christum non duas res diueras egisse aut instituisse in cœna, quam cum discipulis habuit ultimam, videlicet ut Pontificij fingunt, communionem, & sacrificij oblationem. Quæ sunt diversissimæ actiones.

70. Nec enim persona est eadem offerens vtruncq;. Christus Agnus ille Dei est, qui tollit peccatum mundi, & se obtulit sacrificium, & victimam non in Cœna, nec cruento, nec incruento modo, sed in Ara crucis.

71. Missifex sacrificulus, homo, homo est peccator, qui expiare non potest nec sua, nec aliorum peccata.

72. Sacrificium Christi vnicum, sufficiens est ad exhaustiō peccata totius mundi: Ideo nihil relictum est fictitio Missæ sacrificio.

73. Christus nec ipse se in Cœna obtulit, Nec eam hoc consilio ut esset sacrificium, quod offerretur instituit: sed communionem sui corporis & sanguinis in sui commemorationem.

74. Christi sacrificium cruentum fuit. Iam Missæ sacrificium dicitur incruentum.

75. Ideoq; minime propiciatorium. Quia sine sanguinis effusione peccatorum non fit remissio.

76. Quod:

76. Quod si dicunt ideo Missam Sacrificium esse vere propiciatorium, quod in ea habeant corpus & sanguinem Christi.

77. Minime concedendum est, quod ubi cunctis sit corpus & sanguis Christi, ibi sacrificari, aut esse sacrificium.

78. Aliás Christus ubique se obtulisset locorum, in quibus est versatus dum in terris ageret, ubi cunctis ambulauit, sedit, stetit, iacuit, &c.

79. Et si ideo Missa sit sacrificium, quia ibi corpus & sanguis Christi habeantur: cur non etiam, & quidem multo magis in quavis Cœnæ Dominicæ administratione, in qua certum est præsentia esse corpus & sanguinem Christi secundum ipsius institutionem.

80. Sed nec in Missæ suæ sacrificio Pontificij Corpus & Sanguinem Christi habent, verum tantum panem & vinum.

81. Quia voluntas & intentio instituentis faciunt sacramentum, non intentio consecrantis. Compend. Theolo. veritatis lib. 6.

82. Sicut Turcarum circuncisio hodie Sacramens tum non est.

83. Quemadmodum nec cum Suffraganei bapti sant campanas, baptismus est.

84. Non autem hoc fine Christus Cœnam suam instituit ut sit sacrificium propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum.

85. Sed vult cum pane & vino corpus & sanguinem suum dispensari, ac mortem suam in Cœna publice annunciari.

86. Nec vult ut unus edat, aut offerat Deo pro alijs omnibus: sed inquit Accipite, manducate, bibite ex hoc

B 3 omnes

OMNES Hoc facite in mei commemorationem.

87. Cum igitur in Missa Pontificalia non serueretur institutio Christi, certum est in ea non haberis Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

88. Nam quod August. dicit, Accedat verbum ad Elementum & sit Sacramentum, rite, & secundum voluntatem ac institutionem diuinam, id fiat necesse est, quæ hic non seruatur,

89. Insuper hæc eadem, quæ suæ Missæ sacrificio, in quo fingunt se habere Corpus & sanguinem Christi sub speciebus vel accidentibus tantum, panis & vini, trbuunt: vulgari, & nondum consecrato pani, & vino adscribunt.

90. Hæc enim sunt verba Canonis Minoris, quem ante consecrationem recitant, quæ sequuntur.

91. Suscipe sancte pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo viuo, & pro inumerabilibus peccatis, & offenditionibus, & negligentijs meis, & pro omnibus circumstantibus: sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis & defunctis, ut mihi & illis proficiat adsalutem in vitam æternam Amen.

92. Hæc non solum stulticia est, & inscitia, sed etiam impietas ac αρτολαχθεία: creature panis vulgaris trbuere quod est solius Christi Mediatoris, placantis suo sacrificio iram patris, & peccata expiantis. Eundem plane ad modum in principio Canonis Majoris, vocant panem & vinum nondum consecrata, Sancta & illibata sacrificia, Quæ (inquit) offerimus tibi pro Ecclesia tua sancta catholica. Item addunt statim, Memento Domini

SACRA

Domine omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt (stulticia) hoc sacrificium laudis pro se, suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumentatis.

95. Hæc omnia ante consecrationem ad panem & vinum pertinent, ad quas horrendas blasphemias piæ mentes exhorrescant, quod ex pane non consecrato Idolum fabricentur, quod Sacrificulus adorat, Deoq; pro tota Ecclesia, pro redēptione animarum & spe salutis offert,

96. Hæc solius Christi, eius sanguinis, quo redēpti sumus, & vincæ ipsius oblationis semel in cruce peractæ, sunt propria.

97. Postea mutata vera ratione Cœnæ Dominicæ, priuatum Pontificij sacrificuli instituunt conuiuum, Missas priuatas in templorum angulis celebrant absq; communicantibus, soli omnia edentes & bibentes.

98. Pugnant hæc Missæ priuatæ cum Christi institutione & Actione, qui discipulis ore & manu porr̄gens dedit, & dixit, Accipite, edite, bibite.

100. Pugnant etiam cum Canone ipso Romanæ Ecclesiæ, quod hic non solum recitet verba institutionis (licet mutila) Accipite, comedite, bibite ex hoc O M N E S: sed etiam mentionem faciat C O M M U N I C A N T I V M. Communicantes & memoriam venerantes,

102. Ipsi verò sacrificuli Missifices in priuatis & angularibus suis illis Missis nemini quicquam dant aut communicant, sed soli commedunt & bibunt alijs ocosiss spectatoribus exclusis, pro quibus se edere & bibere aiunt, Quod os sacerdotis, sic os omnium.

Pugnant:

<sup>1.</sup> Cor. 11.

In iure Canon. de  
consecrat.

101. Pugnant & cum Ecclesiæ primitiua praxi, vſu  
& consuetudine diururna à temporibus Apostolorum,  
qua omnes qui erant congregati in cœtu Ecclesiæ  
communicabant.

102. Peracta consecratione omnes communicent,  
qui noluerint Ecclesiæ carere liminibus. Sic enim &  
Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

104. Certum est igitur impium esse Missas pri-  
uatas facere, cum Christus publicam & omnibus,  
communem actionem esse voluerit.

105. Nec est instituendus cultus humana autoritate  
sine verbo et mandato Dei & contra Christi ordinati-  
onem, qui discipulis suis distribuit, & hoc facere ius-  
sit quod prior ipse fecit.

106. Impium etiam est, & abusus nominis Dei,  
quem Deus impunitum non relinquit, transferre Cœs-  
nam Corporis & Sanguinis Christi in alium vsum,  
quam ab ipso institutum, videlicet venales Missas ad  
fœlicem mercatum, venationem & omnia alia vel bo-  
na comparanda, vel mala propulsanda commune re-  
medium.

107. Hinc nundinationes illæ Missarum venalium  
pro omnibus necessitatibus (ut praxis testatur, & cons-  
cil. Trid. approbat) qui quæstus longe fuit maximus.

108. Non minus peccant cum panem à se magicè  
anhelitu consecratum, spectatoribus adorandum pro-  
ponunt.

109. Similiter dum pompa persica tanquam in The-  
atro ad protectionem mæniorum, frugum, &c. circum-  
gestant.

110. Item dum reponunt, & includunt Sacramen-  
tariorum

tariæ ædicolæ, seu hierothecæ tanquam Deum tutelarem.

111. Quæ omnia & singula cum prima Cœnæ Dominicæ institutione à Christo facta pugnant.

112. Non enim Cœnam suam instituit Saluator, ut in ea adoretur. Sed corpus & sanguinem suum edendum & bibendum porrexit dicens, Accipite. Sed quid faciant (adorent, circungestent, includant). Nihil horum, sed edite, bibite.

113. Nec ubicumq; est, se vult adorari. Est enim & habitat in quoq; credente. Est & in ihs qui corpus ipsius in Cœna manducant & sanguinem bibunt. Nec tandem procidis ante Christianū, aut in eo Christum praesentem adoras.

114. Etsi igitur Christus, sicut Deus pater ubiq; sit adorandus: tamē non omne id in quo est Deus, & Christus, adorandum erit.

115. Pugnat iuclusio non solum cum Christi institutione, qui vult manducari, sed etiam cum primitiua Ecclesia & antiquitate.

116. Clemens I. Epistola ad Iacobum. Certe tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficeret debeat. Quod si remanserit, in crastinum non reseruentur, sed cum timore & tremore Clericorum diligentia consumantur.

117. Cyrillus, vel vt alij sentiunt Origenes in Leuit. cap. 7. Nam & Dominus panem, quem discipulis dasbat, dicebat eis, Accipite & manducate, &c. Non distulit, NEC SERVARI IVSSIT IN CRASTINUM. Hoc fortasse mysterij continetur etiam in eo, quod panem non iubet portari in via, vt semper recens

C tes

De consecrat. di.  
stuct. 2, cap. tribut.

tes, quos intra te geris verbi Dei panes, proferas.

118. Sic de agno Paschali diserte cauit, ne quid in  
crastinum reseruetur.

119. Vult autem Dominus eo tantum coli a nobis  
modo, quem verbo suo prescripsit.

120. Ideoque apostolatice haec sunt, & horredus Cœnæ  
Dominicæ abusus, atque prophanatio.

121. Nec hoc reprehensione caret, quod Canon, &  
in eo verba institutionis, quæ fundamentum sunt Cœnæ  
Dominicæ, peregrina lingua, & submissa voce, atque  
murmure quodam, ut exaudiri, & intelligi nequeant a  
circumstantibus spectatoribus, recitantur.

122. Christus enim Cœnam suam cum institueret  
eamque administraret, cum discipulis suis clara voce, & lin-  
gua ipsis nota, ut ipsum exaudirent, & intelligerent,  
locutus est. Et iussit ut hoc facherent in sui commemo-  
rationem, hoc est, Apostolo interprete, mortem suam in  
ea annunciascent.

123. Cum autem mortem suam vult annunciariri,  
clara id voce fieri præcipit, & lingua vulgo nota, alias  
a muto nihil admodum differt.

124. Hinc imp. Iustinianus, iubemus ut omnes Epi-  
scopi pariter & presbyteri non tacito modo, sed clara  
voce, quæ a fideli populo exaudiatur sacram oblatio-  
nem, & preces in sancto baptismate adhibitas cele-  
brēt. Et causas veras bonas & vere Theologicas ex sa-  
cris scripturis de promptas recitat.

125. Enim uero inquiens, si solum modo benedicas  
Spiritu, quomodo is qui priuati locum implet, dicet ad  
gratiarum actionem tuam Deo, ipsum Amen, quando  
quidem quid dicas, non videt; Tu quidem pulchre gra-  
tias.

tias agis, alter autem non ædificatur.

126. Postea concludit. His igitur de causis conuenit, ut inter cœteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce à religiosissimis Episcopis, & presbyteris Domino nostro Iesu Christo Deo nostro, cum patre, & Spiritu S. proferantur. Scituris Religiosissimis sacerdotibus, quod si quid horum neglexerint, & in horrendo iudicio magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, de his rationem reddent, Necq; nos hæc cognoscentes conquiescemos, relinquemus ve inulta.

127. Missatio ista & consecratio Pōtifica in Missa magicum quid præ se fert. Sicut etiam Gabriel affirmat, confectionem corporis Christi in Sacramento fieri occulta aliqua virtute, non insistente ei à quo fit, sed assistente. Secundum quem modum Malefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur, & extrahere lac vaccarum de sedibus, vel manubrīs secūrum: quod non fit naturali virtute maleficum, neq; ex eorum merito, sed virtute occulta, siue mala, siue bona assistente.

128. Apostolus, vt recte Imp. Sanctus in Ecclesia vult omnia fieri ad ædificationem. Si quis autem submissa voce, vel lingua vulgo ignota loquatur, nemo inde ædificatur.

129. Ideo addit, in Ecclesia volo quinq; verba mente mea loqui, vt & alios instituam, potius quām decem millia verborum lingua.

130. Quinq; hæc verba, non sunt H O C E S T E N I M C O R P V S M E V M, magica vi prolata, quibus transubstantiari panis elementum in corpus Christi imaginantur. Sed hoc vult Apostolus, satius esse, plus

C 2 que

Hui nimirum. Nolite tangere Christos meos.

Gabr. super Can. Missæ lect. 4.

que ad Ecclesiæ ædificationem facere, si pauca quædā concione sua explicet sermone qui à vulgo intelligatur, quid velit: quām si multa verba, lingua peregrina, sibi soli nota, faciat, cum ab Ecclesia non intelligatur.

Gabriel Biel in ex-  
posit. Canon lect. 15.

*Es ist angan-  
gen.*

131. Causam verò cur non palam verba consecratis onis, & Canon sint recitanda, sed submissa voce & musitatione, Gabriel exponit. Fertur inquit, quod cum antiquitus publicè, & alta voce Canon diceretur, omnes penè per vsum illum sciebant, & in plateis, & vicis illum decantabant. Vnde cum quidam pastores in agro, pane super lapidem posito Canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum, panis conuersus est in carnem. Ipsi autem igne de cœlo, acerrimo diuino iudicio sunt percussi. Propter quod sancti patres statuerunt, vt de cætero Canon diceretur sub silentio.

132. Sed pluris faciendum est nobis Spiritus sancti oraculum quod piissimus Imper. in Authent. allegata recenset, quam Gabrielis, etiamsi Archangelus esset, & non doctor Scholasticus, fabula.

133. Vulgo nota lingua sacra facienda, etiam Ponti De officio iudicisis fices Romani senserunt. Sic enim decretum Innocentij ordinarii,

3. habet.

134. Quoniam in plerisque partib. infra eandē ciuitatē atq; diocœsim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus, & mores: districte præcipimus, vt Pōfices huiusmodi ciuitatum, seu diocœsium prouideant viros idoneos, qui secundum diuersitates rituum, & linguarum, diuina illis officia celebrent, & Ecclesiastica Sacra menta, instruendo eos pariter verbo & exemplo.

135. Eundem plane ad modum Pius 2. de Cyrillo quo;

quodam Morauorum Episcopo scribit. Ferunt Cy<sup>r</sup>illum cum Romæ ageret, Romano Pontifici suppli-  
casse, Sclauorum lingua eius gentis hominibus, quam  
baptisauerat, rem diuinam faciens, uti posset. De qua-  
re, cum in sacro senatu disceptaretur, essentq; non  
pauci contradictores, auditam vocem tanquam de cœ-  
lo in hęc verba missam. Omnis Spiritus laudet Domi-  
num, & omnis lingua confiteatur ei. Indeç; datum Cy<sup>r</sup>  
rillo indultum.

136. Oraculum hoc quomodo cunq; ad senatum des-  
latum, è Sacra scriptura depromptum est. Psal. 115.  
Isa. 45. Rom. 14. quo Spiritus sanctus vult omnes Eco-  
clesias sua lingua in sacrorum celebratione vti.

137. Pœna est & maledictio audire linguam quam  
non intelligis, quod Apostolus ex Isaia mutuatus est.

138. Sic & mussitatio in Missa, & ignota lingua, vbi  
nec audiunt, nec intelligunt spectatores si maximè clas-  
tra voce verba dicerentur, maledictio est censenda.  
Cum omnia in vsum Ecclesiæ facienda.

139. Et perinde est sacrificulus Ecclesiæ in Actione  
ista: ac si plane mutus esset. Hunc porro Pontificij ipsi  
doctores consecrare, vel confidere corpus Christi ne-  
gant.

140. Non igitur ferenda in libera Ecclesia Roma-  
norum Pontificum tyrannis, qua vsum vernaculae lin-  
guæ in Sacramentorum administratione prohibent &  
tollunt.

141. Sicut multis in locis lectio Sacræ Scripturæ  
vernacula lingua prohibetur, imo ne quidem oratio-  
nem Dominicam ea lingua dicere conceditur. ut quid  
orent, ignorent.

C 3 142. Hæc:

Aeneas Sylvius, po-  
stea pius 2. i. h. 1. Be-  
hemicae gis. cap. 13.

142. Hæc Antiochi Epiphanis, & Diocletiani crudelitatem sacros codices vndiq; conquirentium, & exurientium longe superant.

143. Quod porrò dicunt Pontificij, Missam suam à Christo institutam, in priori hac de re Disputatione habita, nihil tale in verbis Cœnæ haberi, planum fecimus.

144. Eadem ratione de Apostolis respondemus, quomodo illi Ecclesijs tradiderint Cœnam, ex ipsorum scriptis manifestum est.

145. Nec quicquam etiam apud scriptores Ecclesiasticos extat, quod Apostoli addiderint, præterquam quod Petrum, dicta oratione Dominica, Cœnam Domini celebrasse scribitur à posterioribus.

146. Sed nullius mentio fit Sacrificij propiciatorij pro peccatis viuorum, & mortuorum.

147. Quod de Iacobo fratre Domini, & Basilio nungantur Pontificij, eos Missæ celebrationem præcepisse, ex temporum ratione refutatur, cum non fuerint synchroni, sed trecenti inter illos anni intercesserint.

148. Eodem modo friuolū est, quod de Apostolorum discipulis & Patribus garriunt, Missas eos celebrazze eas, quæ nunc in vñu sunt.

149. Etsi enim vocabulis Sacrificij, imolationis, oblationis, alijs etiam Missæ postea, & consimilibus vñtantur: minime tamen senserunt Cœnam Domini Sacrificium esse verè propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum sicut preced. Disput. probatis patrum testimonij demonstratum est.

150. Cæterum quod obñciunt omnibus temporib. in Ecclesia fuisse & sacerdotiū & sacrificiū, ideoq; iam etiam esse debere, quod eadē sit ratio omniū temporū,

151. Nō negamus vera hæc esse, si recte & dextre accipientur, nēpe sacerdotiū de Ministerio publicoverbi

Dei

Dei, et sacramētorū administ. iuxta Christi institutionē.

152. Nec sacrificia Ecclesiæ vlo desunt tempore, primum Christi vnicum & verum propiciatorium, cuius effectus omnibus durat temporibꝫ. Deinde eucharistica Noui testamenti omnis generis.

153. Et quod de sacrificijs externis dicitur, quod apud omnes gentes fuerint semper vslitata ex rationis instructu & dictamine.

154. Rospondemus, ea à Patriarchis, & vera Ecclesia cui Deus ea patefecit atq; populo Dei, à quo ortæ sunt gentes, & propagatæ carnaliter, accepisse. Sed amissa doctrina de vſu & fine sacrificiorum, ritus tantum externos sacrificiorum retinuisse gentes.

155. Et tamen gentiles quoque saniores ab eis abhorruisse, & reprehendisse. Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te? Tacemus Lucianum qui rideret Iouem, quod nidoribus cadauerinis delectetur.

156. Quod vero dicunt Natura nobis inesse, dictante ratione, ut sacrificijs Deum placemus, sicut omnium temporum, & populorum exempla testentur.

157. Antea responsum & sciendum est, non omnia que ratio humana dictat, præsertim in causis Religioꝝ, bona, & verbo Dei esse consentanea. Affectus enim carnis mors est, & inimicicia aduersus Deum. Et anima his homo non intelligit ea qui sunt Spiritus Dei. <sup>1. Cor. 2.</sup>

158. Deinde, et si hæc noticia diuinitus homini in creatione insita, adhuc reliqua sit, Esse Deum, Deū esse colendū: tamen quomodo sit colendus ignorat Rom. 1.

159. Porro ex scriptura quod adducunt Melchisēdech, quo suum Idololatricum Missæ sacrificium stabiliant, qui Panem & vinum obtulerit. Quia fuit sacerdos Dei altissimi, & in hoc typus Christi. Ideoque iam sub speciebus panis & vini. <sup>Gen. 14.</sup>

sub speciebus panis, & vini offerenda esse in Cœna corpus, & sanguinem Christi in Missa.

160. Multis vicijs laborat hoc argentum. Melchis  
se dech enim non fuit typus Christi oblatione panis, &  
vini: Hæc enim non Deo obtulisse scribitur, sed ex-  
ercitui Abrahæ defatigato & famelico à pugna redes-  
unti P R O T V L I T, vt in Hebræo habetur. Nec ideo  
in oblatione panis & vini typus Christi fuit, quia hoc  
non fecit.

161. Nec ideo sacerdos scribitur, quod panem, & vi-  
num obtulerit, sed ea ratione qua benedixit Abrahæ.  
vocula E N I M, non habetur in Hebræo, Sic enim, legis-  
tur. Et ipse (erat) sacerdos altissimi, & benedixit A-  
brahæ.

Psal. 119. Heb 7.

162. Sed ideo typus Christi fuisse scribitur, quia sa-  
cerdotem Christnm A E T E R N V M adumbravit, nec  
initium dierum, nec vitę finem habens, cum eius gene-  
ratio in scriptura non enumeretur.

163. Sic nec iuge sacrificium apud Danielem, quod  
abrogauit Antiochus Missam Pontificiam prefigura-  
uit. Sed Christi sacrificij vnici propiatorij, cuius effe-  
ctus perpetuo durat, typus fuit.

164. Agni enim illi qui iugiter vesper i & mane of-  
ferebantur domino, & iuge dicebatur hoc sacrificium  
id est perpetuum, quod nunquam erat intermittendū,  
Christū prefigurabant, qui dicitur Agnus Dei qui tollit  
peccatum mundi, semel oblatus, sed cuius victimæ vir-  
tus & effectus est perpetuus.

Ioh. 1.

165. Hoc verum & iuge sacrificium Antichristus,  
cuius typus Antiochus fuit, & est iam Romanus Pōti-  
fex, quantum in se est, abolet, eneruauis illud primū Mis-  
sis

sis suis Idolatris, ἀρτολάτροις. Deinde prohibens, abrogans, & è medio tollens tyrañide & persequutione sæuissima instar Antiochi, prædicationem Euangeliū de vno illo vero, & iugi Christi sacrificio, vbi cuncti protest.

166. Objiciunt & pro stabiliendo Idolatrico Missæ <sup>Malachiæ.</sup> Sacrificio locum Malachiæ de oblatione munda in omni loco Domino offerenda.

167. Sed Propheta seipsum interpretatur, inquit: Quia magnum est nomen meum in gentibus: quod de Euangeliū prædicatione eiusque diuulgatione per totum terrarum orbem sit intelligendus, per quod nomen Dei sanctificatur.

168. Hec Euāgeliū diuulgatio, oblatio est illa munda, quæ sacrificatur, & offertur Domino in omni loco, hoc est, in vniuerso mundo fructificat, & crescit, teste Paulo. <sup>Col. 1.</sup>

169. Hanc ob causam, & simili sermonis genere idem Apostolus locum Malachiæ interpretatur, cum se vocat λατρεγόν sacrificium Christi, ιερογεννήσα sacrificans tem Euangelium Dei, ut fiat oblatio gentium (quas suo ministerio, & Euangeliū prædicatione passim sparsa Deo adducebat) accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. Quid manifestius? Quid magis conueniens?

170. Fucum hīc faciunt Papistæ imperitis, dum Patres Malachiæ locum de Missæ Sacrificio interpretatos esse asserunt.

171. Tertullianus enim, qui inter primos est, Sacrifciū mundum interpretatur de gloriæ relatione, benedictione, laude & hymnis.

172. Hieronymus super Malachiam hoc loco de Oratione intelligit.

D Irenæus

173. Irenæus & Augustinus ad Cœnam Domini quidem referunt, sed non ad oblationem corporis & sauguinis Christi in Missa priuata, quemadmodum Pontificij.

174. Sed quid opus est alijs testibus, aut interpretibus? Cum Isaías Propheta, ex quo hæc verba Malachias mutuatus est, manifestis verbis, sicut supra ex 15. cap. Rom. interpretati sumus de Euangeliū diuulgatione, per quam gentes ad Christi agnitionem sint vocandæ, referat.

175. Ita enim habet verba Prophetæ. Mittam ex eis, qui saluati fuerint ad gentes in Mare, &c. annunciant gloriam meam in gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus Mincha (quo vocabulo Malachias quoq; dicto loco utitur) Oblationē Speiss- opffer/Domino in equis, & quadrigis ad montem sanctum meum Hierusalem, Oblationem in vase mundo (quod Malachias quoq; iisdem verbis repetit, oblatione munda, utrobiq; iisdem etiam vocabulis positis) in dominum Domini. Et assumam ex eis sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus.

176. Quod si iam omnes Patres de Missæ sacrificio hunc locū interpretarentur, contra Prophetam hunc, & Apostolum Domini (quod tamen non faciunt) cuius interpretationi sit standum, quiuis facile intelligit.

177. De reliquis argumentis, quibus Dagonem suum Missam Pontificij stabilire conantur, quæ partim ex verbis institutionis Cœnæ perperam intellectis, & male detortis, partim vero ex patribus excerpunt contra illorum mentem, cum appellant Cœnam Domini oblationem, immolationem, sacrificium incruentum, quod

quod offeratur &c. quomodo hæc accipienda sint, quantumq; patribus deferendum, precedente Dispositione satis est declaratum.

178. Postremò, multa quidem per se, suaq; natura, bona sunt in Missæ actione, qualia sunt Kyrie eleyson, Canticum Angelorum, Lectiones Epistolarum, & Euangeliorum, Symbolum, Sanctus, Agnus Dei, &c.

179. Sed hæc malorum admixtione, quæ sunt in Canone, vitiantur, de quibus hactenus magna ex parte est dictum, de reliquis in sequentibus, Deo iuuante, plura addituri.

180. Bona enim quæ sunt, mala non reddunt bona: sed contrà potius, mala corrumpunt bona, sicut sancta non sanctificant prophana: sed contrà, hæc illa polliunt.

181. Quemadmodum si ferculo opiparo, vel vino generoso venenum admisceatur, illa hoc non in suam naturam conuertunt: sed hoc illa inficit omnia, vitiat, & corruptit.

182. Ideoq; Missa Pontificia, horrenda est, & abominanda Cœnæ Dominicæ à Christo institutæ prophe-  
natio, plurimos non modo errores, sed multiplicem etiam Idolomaniam, eamq; turpisimam continens. Blasphemia est atrocissima in sanguinem, meritum & unicum Christi summi nostri. Pontificis Sacrificium vere expiatorium. Idolum est, cum quo fornicati sunt Reges & principes mundi, & in veneficij eius errauerunt gentes. Sed ab omnibus pñs fugienda, abominanda, detestanda, & in infernum damnanda.

183. Quod si nullam aliam haberemus causam Pas-  
patum deserendi, hæc sola nos satis vrgeret fortiter, dis-  
cente Apostolo: Fugite ab idolorum cultu.

D 2 184. Hac

1. Cor. 10.

Apo. 14.

184. Hæc quidem fuit temporibus tenebrarum irato Deo. Iam verò orta luce doctrinæ cœlestis, singulari eiusdem clementia cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.

185. Nemo itaq; merces eius putidas emat amplius: Sed exite de illa popule mi ( dicit Dominus ) & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Quoniam peruererunt peccata eius ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius. Reddite ei, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplia secundum opera eius.

FINIS.

*ERRATA.*

In Propositione 21. post vocabulum celebrata, adde, durauit.

In fine Propositionis 98. adde: ex hoc OMNES.

In Propositione 159. repetuntur hæc verba, sub speciebus & vi-

ni, quæ sunt delenda.

Similiter & in sequenti Propos. 160. vocula, ideo, deleatur.

# FarbKarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Centimetres  
Inches

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

A PONTI.

DISP V T A =  
L T E R A .

*piritu adiuuante.*

I D E R E =  
CLARISSIMO

EERBRANDO, SACRO.  
*Professore in inclyta Academia  
ceptore suo omni obseruantia co-  
AR V O G T I V S Vlmen-  
sexta, in Aula noua, pro  
s propositiones exer-  
respondere co-  
itut.*



N G AE,  
LXXIII.

101172

